

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0586

0584

0590

0580

0595

0575

0635

0535

0685

0485

1085

0085

13

qui in terrestri Jerusalem mysteria coelestia imitatur. Et sicut felix est, qui Christum in gloria videt, et beatissimam Virginem Mariam, patriarchas, prophetas et apostolos: sic felix est, qui Christi vestigia et beatae Virginis, prophetarum et apostolorum imitatur et deosculatur. Insuper, sicut felix dicitur, qui felicitatem certa spe habet: sic qui Jerusalem terrestrem vidit, felix est, quia dicitur, quod illi, qui civitatem sanctam Jerusalem ad Dei laudem adierunt et viderunt, indubitanter etiam et procerto in coelestem Jerusalem intrabunt, et ibi regem in suo decore videbunt, quem in terrestri Jerusalem in praesepe, in cruce et in sepulchro quaesiverunt. Quid hoc dictum veritatis habeat, nescio, sed spero. Ex his patet praeceminentia militum sancti sepulchri supra alios milites. Ad hos milites hierosolymitanos scribit S. Bernhardus sermonem longum, in quo eorum conversationem et vitam militarem describit et vitia reprehendit militum carnalium in IV capitulis.

De divino Officio illius noctis in S. sepulchro peracto.

Militum creatio sive percussio in dominico sepulchro fit modo dicto, fol. 184 B. Longam autem accepit moram, antequam omnes percuterentur, nec potueramus Missas celebrare ante finem percussiois. Vigilavimus tamen omnes et loca sancta cum luminibus perlustravimus. Porro vigiliam illius noctis et peregrinationis per loca sancta templi et jejunium et orationes meas ac devotiones, quae, pro dolor! tepidae, taediosae et paene inutiles erant, ordinavi pro his, quibus promiseram, quod in locis sanctis memoriam eorum habere vellem, et pro meis dilectissimis fratribus, et benefactoribus, qui mihi manum adjutricem porrexerant, contribuentes impensas ad illa sanctissima loca. Medio enim tempore, quo milites percutiebantur, ascendi ad sanctum montem Calvariae, et accenso lumine et atramento posito ante me, sedi juxta rupem sanctissimam, in qua sancta crux cum Crucifixo steterat, et omnium conscripsi nomina, pro quibus orare in singulari promiseram, et pro quibus tenebar. Et nominibus signatis, sicut in litanis, accessi cum charta ad ipsam rupem sanctam, et ibi genu flexo

Ende

Anfang